34-1-C-40
25

MVNDI
SVPREMA LVSTRATIO
PER
PHILIPPVM CAPISTRELLIVM
ROMANVM,

Litterarum Apoſtolicarum min: Grat. Scriptorem
ad ſenſum SS. Patrum Rythmicè

IN ARCHICONFRATERNITATIS
SS. CRVCIFIXI SACELLO

Feria ſexta poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ
Harmonicè expreſſa

LAVRENTIO FONTANA CHOROSTATA.



ROMÆ, Typis Reu. Cameræ Apoſtolicæ 1694.

Superiorum Permiſſu.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Sac. Apoſtolici Palatij Magiſtro.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Franciſcus Maria Forlani Reuerendiſs. Patris S.A.P.Mag. Soc. Ord. Præd.

ARGOMENTO.

LA Scena luttuoſa, che nel Teatro dell'Vniuerſo con il Giuditio Finale ſarà la Cataſtrofe del Mondo, è l'Oggetto del preſente Componimento. Se ne tralaſcia il racconto, per non eſserui tra Cattolici chi ſia inferiore a' Gentili, a' quali anche tra l'ombre de loro errori traſpirò la luce di queſta Verità, coſi cantando Lucano al lib. 1. della Guerra Farſalica.

Compage ſoluta
Sæcula tot Mundi ſuprema coegerit hora, &c.

Et Ouidio al 1. delle Metamorfoſi,

Eſse quoque in fatis reminiſcere affore tempus,
Quo mare, quo tellus correptaque Regia Cœli
Ardeat, & Mundi moles operoſa laboret.

Da queſti apprenda il Giuſto
A confermarſi: e dal ſentiero obliquo
A ritrar le ſue piante vn Petto iniquo.

PERSONÆ.

Chriſtus Iudex

Primus)
Secundus) Angelorum.
Tertius)
Quartus)

Primus)
Secundus) Cœlitum.
Tertius)
Quartus)

Iuſtus
Impius.
Viuentes
Cœlites
Improbi

PARS PRIOR

Tuba.

Quat. Ang. Surgite mortui.
Venite ad Iudicium.

1\. *Angelus*. Impalleſcite, contremiſcite,
Impij horreſcite, ingemiſcite,
Recti corde exultate,
Et mercedem laboris expectate.
Ecce carnis vniuerſæ.
Aſtat meta, venit finis:
Mundi pompa cuncta cadet,
Et euadet puluis cinis.
Ecce &c.

2\. *Angelus*. Deus Maieſtatis intonuit,
Virtus eius inſonuit,
Et vt fulgur, diluculo
Ortum occaſum penetrans,
Tremebundæ vltionis,
Aduenit dies retributionis:
Immenſus,
Accenſus,
Rigore,
Furore,
Vt flamma ferueſcit:
Eius ira exardeſcit
In eos, qui plauſerunt,
Luſerunt, riſerunt
In gemitu infelicium.

Tubæ.

Quat. Ang. Surgite Mortui
Venite ad Iudicium.

3\. *Angelus*. Eia omnes ingredimini

Iudicij Agonem;
Vos de cunctis operibus
Compellit Deus reddere rationem.
Quæ dulcis amara
Fiet Iudicis vox
Dies Iuſtis præclara
Eſt Perditis nox
Quæ dulcis &c.
4. *Ang.* Veh Sanctorum ebrijs ſanguine,
Veh plenis bonis pauperum,
Quia in nube ſedendo
Filius hominis venit diſcurrendo.
In Impios Sceleſtos
Clementia ceſſauit,
Et pietas abiuit:
Sed Eis, quos præſciuit
Deus gaudia parauit
Dierum fælicium.

Tuba.

Quat. Ang. Surgite Mortui
Venite ad Iudicium.
1. *Angelus*. Eia impetus flammarum,
2. *Angelus*. Spiritus Procellarum
3. *Angelus*. Inſultus,
Diſcuſſio,
4. *Angelus*. Tumultus,
Concuſſio,
Subito conuertatur
Omnes Quat. Hæc vltima calamitas
Calamitatibus omnibus
Præferatur, præueniatur.

Symphonia Terræmotus.

Viuentes. Ingruit repente ſonitus
Tanquam furentis

Spiritus concutientis:
Æther fremit,
Tellus tremit,
Æquora conſurgunt,
Mortui reſurgunt,
Nos infælices!
Hæ ſunt venturi Dei iræ vltrices.
Impius. Deſolatio, abominatio,
Tribulatio vndique ſtat:
Dies magna, dies amara:
Triſtia rara nobis dat.
Deſolatio &c.
Omnia conturbantur;
Luna, Sydera, Sol obtenebrantur.
Iuſtus. Magna dies, ſed iucunda,
Dum cor noſtrum firmat ſpe:
Dies rectis lætabunda
Plena gaudia fert in ſe.
Magna, &c.
Impius. Mortis caligo eam occupat.
Iuſtus. Sol Iuſtitiæ in ea emicat.
Impius. Hæc dierum mæſtiſsima.
Iuſtus. Hæc numeretur omnium iucundiſsima.
Impius. Fera dies. *Iuſtus.* Fauſta lux.
Impius. Recede;
Diſcede,
Iuſtus. Tranquilla,
Scintilla,
Impius. Ne crucies. Nos:
Iuſtus. Lætifica
Impius. Tu mortis.
Iuſtus. Tu fortis
Impius. Es pluuia, *Iuſtus.* Es ros.
Iuſtus. Cauſam tuam iudica,

Sanguinem noſtrum vindica;
Vindictæ ſurge Rex:
Te relinquentes contere,
Te contemnentes diſsipa,
Non eſt fides, languet lex.
Cauſam &c.
Cæci ſic te videbunt
Tibi aures iniquorum ſic patebunt,

Impius. Quare ex vtero deductis
Nobis vitæ data eſt dies?
Cur aſſumpti!
Cur non fuimus conſumpti?
Nam cui nullus prodeſt fauor
Adeſt pauor, non eſt quies.
Quare &c.
En, proh dolor, impletum;
Ad Veſperum morari fletum.

Viuentes. Montes, Colles vos
Operite,
Deglutite,
Cadite, ruite ſuper nos.

Chriſtus. Intelligite Cœli,
Clamor iniquitatum me præceſsit.
Quia in pectore infideli
Impia caro corrupta via inceſsit.
En peccata
Sunt grauata
Coram Deo à filijs Hominum:
Nunc agnoſcent, quæ ſit ſcientia,
Quæ potentia contra Dominum:
En peccata &c.
Surgam, arguens in gladio
Vt pereant, vt deficiant,
Vt fumus in conſpectu meo

Ma-

Malum hominem delebo;
Nec manebo amplius in eo;
Hæc tempora me quærunt
Iuſtitias iudicantem,
Et eos qui me irriſerunt,
Ridentem, ſubſannantem.
Hæc tempora &c.
Cælites. Iuſtus es Domine,
Et rectum Iudicium tuum:
Tu Deus vltionis
Reddis retributionis
Mercedem omnibus iuxta opus ſuum
Iuſtus es Domine,
Et rectum Iudicium tuum;
1. *e Cælitib.* Agnus Libri ſignacula ſoluere
Dignus, Iuſtus, quia occiſus iam es,
Vt Nationibus, Gentibus, Populis:
Iudicandis iudicium des. Agnus &c.
2. *e Cælitib.* Sic timere quæ noluit minas,
Quas tuæ fluxit clementiæ Fons,
Per te plangat impletas ruinas,
Queis frangatur incredula frons.
Chriſtus. Voces, & tonitrua,
Turbines, & fulgura,
Terreant potentiam Hominum,
Qui fateantur,
Dum conquaſſantur,
Me Regem regum, & Dominorum Dominum
Ante me præcedat ignis
Vt inflammet hoſtes meos;
Cœli Stellæ
Sint procellæ,
Quæ ſubmergant impios reos.
Ante me &c.

In valle hodie Ioſaphat
Cuncta pateant abſcondita;
Nil remaneat occultum;
Nil irremunerarum, nil inultum.

3. *e Cælitib.* Imperio Tonantis
Eſt famulari ſors
Ad nutum ſummi Regis
Fit leue iugum legis,
Et vita eſt ipſa mors;
Imperio &c.

4. *e Cælitib.* Dei exequi mandata
Eſt honor, gloria, & pax;
Hic vmbras omnes tollere,
Sit tenebras repellere
Qnia ipſe eſt Cœli fax.
Dei &c.

Cælites. Deo terribili,
Inagreſſibili
Quis obſiſtet?
Quis reſiſtet?
Te decet Hymnus gloriæ,
Tibi debentur Cantica victoriæ.

Iuſtus. FIgurat ſuper æthera
SIGNVM noſtræ ſalutis
Quo Deus virtutis fuit Redemptor ſæculi
Iudicis Mundi nuncia
In Cœlo fulget Crux
Ei culmina radiorum
Aſtrorum cedit lux
Iudicis &c.

Reprobi. Hoc ſignum Pœna magna eſt! quem rogabimus?
Quem in refugium noſtrum inuocabimus?

Impius. Vindex quæſitor ſcelerum
Properat, heu nos miſeros!
A dextris aſtant crimina
A leuis inſtant Dæmones,
Supra Iudex iratus,
Subtus lacus paratus,
Foris Mundus comburens,
Intus conſcientia vrens:
Iudicem,
Vindicem
Nos, impoſsibile eſt, latère,
Nimis intolerabile apparère.
Cæca mens! nos inſenſati
Quam fallaces, ſtulti fuimus;
Inter pœnas, en quas luimus,
Gemit cor, & fremit dens,
Cæca mens &c.

Tubæ.

Chriſtus. Ego Primus & Nouiſsimus
Ego Altiſsimus
Venio Terram iudicare,

Meæ

Meæ Iuſtitiæ æquitatem
Veritatem
Videant Cœli, Tellus, mare. Ego &c.
Cuncta, quæ Homo porrexit,
Omnia Iuſtitia ab æthere proſpexit.
Vos igitur, qui facitis
Voluntatem meam,
Segregate ab electis Gentem ream.
Auferri ab Hædis Agnos
Hæc mea imponit lex:
Nil diſcorde, vbi veracis
Eſt beata viſio Pacis,
Paſtor vnus, vnus Grex.
Auferri &c.
Iuſtus. Velut riuus, qui errando concreſcit,
Impius. Sicut cera, quæ ardendo liqueſcit,
Iuſtus. Fortis, fidens,
Imp. Laſſus, ſtridens,
Iuſt. Factus ſum quoniam ſperat) Cor meum.
Imp. Factus ſum, quia formidat)
Iuſt. In iudicio
Imp. In ſupplicio
Iuſt. Sum redactus,
Imp. Sum coactus
Iuſt. Iudicantem) Ante Deum.
Imp. Condemnantem)
Chriſtus. Ante me, qui poſſideo
Claues mortis, & vitæ,
Aures præbete omnes, audite.
Tuba. Venite Benedicti
Cœlorum prᶒmio addicti
A bonitate Dei:
Venite ad Cœli Sedes,
Qui Dei eſtis Hæredes,

Et cohæredes mei.
Venite &c.
Feſtinate
Properate ad Aulam Sanctorum.
Reprobi. Sors! ſors illornm.
Iuſtus Vnde hoc nobis pijſſime Dux?
Quid nos egimus grati pro Te?
Nobis lumen tui luminis Lux
Fuit in fide, in amore, & in ſpe.
Vnde &c.
Chriſtus. Mihi fœnerando in Pauperes
Me præſtitiſtis debitorem,
Nunc mea Iuſtitia poſtulat
Ponere in veſtris frontibus fulgorem.
Tuba. Glorioſa
Specioſa
Merces veſtra ſemper ſtat:
Iudex Iuſtus, potens, fortis,
Vitæ, & mortis præmia Iuſtis,
Et iniuſtis pænam dat.
Glorioſa &c.
Excipiendo mendicos
Veſter Amor, Mei amicos
Vos fecit inter cœtus Angelorum.
Reprobi. Sors! ſors illorum.
1. *Angelus.* A Rege ad Regiam ducitur
Seruus, & humilis:
Amor mirabilis!
Pauper en introducitur
Ad Dei diuitias;
Res ineffabilis! A Rege &c.
2. *Angelus.* O dilecti
Prælecti
Poſt lamenta ad gaudia, ad riſum:

Vos

Vos Beati
Decorati
Poſſidetis Paradiſum.
O dilecti &c.

3. *Ang.* Surge propera dilecta,
Sponſa electa perge, veni:
Quæ præceſſit
Hyems receſſit,
Noctis vmbræ euanuere,
Permanſere dies ſereni.
Surge &c.

4. *Ang.* Angor, metus,
Dolor, fletus tranſierunt,
Abierunt velut ſomnia:
Cuncta mundi qui perfecit,
Ecce noua fecit omnia.
Angor &c.

Tuba.

Cælites. Plebs fidelis
Euge ad gaudia,
Ad Dominum in Cœlis
Clange, pange Hymnum decorum.

Reprobi. Sors! ſors illorum.

Chriſtus. Vos autem, qui me renuiſtis,
Qui meos afflixiſtis,
Quæ elegiſtis, ſumite:
Si deuitaſtis lucem,
Mortis ſi amaſtis Ducem
In tenebras contendite,
Cum illo in perditionem nunc deſcendite,
O ſtulti, ò tardi corde, ò cæci abite.
Vos qui magnæ meretrici
Babylonis adhæſiſtis,
Secum exitu infælici

Vt in ignes incidiſtis
Aſperiora,
Deteriora,
Sine fine in gehenna ſubite:
O ſtulti, ò tardi corde, ò cæci abite.

Reprobi. Quando Domine
Te nudum vidimus?
Tuæ clementiæ, memento, quia confidimus.

Chriſtus. Impijſsimi, nequiſſimi,
Sermones in iudicio
Diſponere ignoraſtis,
Quia miſereri Egenis detrectaſtis.
A me derelicti,
Diſcedite,
Recedite in æternum maledicti.

Reprobi. O Mundi proditoris
Fallax mendax momentum
Sempiternum à quo manat tormentum

Lyra.

Impius. Vt has flammas extinguatis
Vos in vanum laboratis
Dare lacrymas pupillæ:
Vanus fletus, vanus clamor,
Nam cui nullus adfuit amor,
Sempiternæ ſunt ſcintillæ. Vt has &c.
Quid profuit potentia!
Quid diuitiarum iactantia?
Quid in adoleſcentia
Luxuum, & opum abundantia?
Ad ſupplicia qualis meta?
Inter horas quænam læta?
Ad ardores vbi ſtillæ? Vt has &c.

Reprobi. Semper ignes ergo adurent? *Vrent*
Numquam quieſcent flammæ diræ? *Ira*

Omnia

Omnia noxia cor inuenient. *Venient*
Nulla ſpes nos præmuniuit. *Iuit*

Impius. Semper! numquam! omnia! nulla!
Decreta horrida nimis in me:
Eia Dæmones horribiles,
Orci furiæ terribiles,
Vos vnitæ
Inſequite,
Lacerate,
Dilaniate:
Inter luctus
Sum reductus
Sine fine, & ſine ſpe.
Semper! numquam! omnia! nulla
Decreta horrida nimis in me.

Iuſtus. O quam lætiſſima
Quam fæliciſſima fuit noſtra mors!
Per hanc nobis gaudendo, lętando,
Fruendo, beando exoritur ſors.
O quam &c.

1.e Cælitibus. Æther, Pontus, vndis, ſtellis
Tot non affluit non inundat,
Vt redundat Iuſti fax:
Hic gaudiorum in procellis
Nox non adeſt, claret Dies,
Manet quies, viget Pax. Æther Pontus &c.

Tubæ.

Cælites. Tibi Altiſſime
Gloriantes,
Exultantes,
Iucundamus,
Iubilamus,
Propter iudicia tua Domine:
Sic regnat Homo in Deo, & Deus in Homine.

F I N I S.